

**Dissertatio inauguralis medica de antagonismo muscularum ... / auctor
Christ. Frider. Jaeger.**

Contributors

Jaeger, Christian Friedrich, 1739-1808.
Oetinger, Ferdinand Christoph, 1717-1772.

Publication/Creation

Tubingae : Litteris J.A. Sigmundi, [1767]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/vekba8zx>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
 DE
**ANTAGONISMO
 MVSCVLORVM,**

QVAM

SVB AVSPICIIS DIVINIS,

CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE,

PRAE S I D E

*VIRO EXCELLENTISSIMO atque EXPERIENTISSIMO,
 DOMINO*

**FERDINANDO CHRISTOPHORO
 OETINGER,**

MED. DOCT. ET PROF. P. O.

DEPVTATIONIS IMMEDIATAE DVCALIS MEMBRO,
 ACAD. ELECT. MOGVNT. SCIENT. VTL. SOCIO IN MEDI-
 CIS ORDINARIO,

FAVTORE ATQVE PATRONO COLENDISSIONO,

PRAECEPTORE AD CINERES PIE VENERANDO
 PRO GRADV DOCTORIS MEDICINAE
 LEGITIME CAPESSENDO

PVBLICO EXAMINI SVBMITTIT

D. Februar. MDCCLXVII.

A V C T O R

CHRIST. FRIDER. IAEGER, Stuttgardianus,
 PHILOS. DOCTOR ET SOCIET. DVCALIS HELMSTADIENSIS MEMBRVM.

TVBINGAE, LITTERIS I. A. SIGMVNDI.

ALLEGED SIGHTS OF GHOSTS

25

WILLIAMSON, JOHN



§. 1.

Obtulit se mihi Specimen Inaugurale edituro de antagonismo muscularum doctrina, quam vltiore examine excutere eo minus incongruum existimavi, quod partim recepta sententia non ex omni parte examinanti satisfaciat, & erroribus quibusdam in Medicinam introductis ansam dedisse videatur, partim quod caput de antagonismo vel plane non vel tantummodo brevibus a pluribus scriptoribus pertractetur.

§. 2. Quid musculus sit, tanquam notum ex anatomicis brevitatis causa suppono. Pro meo præsenti scopo mihi sufficit, musculos partibus corporis humani movendis inservire, omnibus & physiologicis & anatomicis scriptoribus præter unicum Libertum (*) de hoc eorum usu consentientibus. Doctrina de actione muscularum mihi de antagonismo scripturo præmittenda fuisse videri posset, cum antagonismus eo facilius intelligatur, intellecta muscularum actione. At nolui in tam amplum campum excurrere, præsertim cum saepius & in physiologicis & anatomicis scriptis caput de actione muscularum occurrat, atque ego in materia de antagonismo pertractanda commode sic versari possim, vt sine obscuritatis nota ea, quæ forsitan de actione muscularum dicenda haberem, omittere liceat. Quamvis circa causam modumve actionis muscularum in tot diversas partes Magni & Celebres Viri abeant, vt quam plurimas hypotheses enumerare possim, si modo BORELLVM, WILLISIVM, KELIVM, BERNOVLLIVM, BOERHAAVIVM, GORTERVUM, HALLERVM, SAVVAGESIVM, le CATIVM evolvere vellem; omnes tamen in eo pulchre conveniunt, quod musculus tunc agat, quando contractus sit. Hoc phænomenon contractionis a nemine iure in dubium vocandum, cum in ipsos sensus incur-



rat, sufficit ad musculum agentem a non agente distinguendum, quæcunque demum theoria de caufsa contractionis assumatur. Ut autem distincte de vi contractili muscularum verba faciam, tres diversas contractionis species notare decet, quas solers Ill. HALLERI industria distinxit. Prima est, quæ Ill. HALLERO (*) contractio mortua dicitur, quæ non proprie fibræ musculari competit, sed omnino & animali & vegetabili communis est. Hæc vis in cadavere iam dudum emortuo & frigido remanet, atque ab adtractione partium physica dependet. Altera species est vis contractilis insita HALLERI, copiosissimis eius experimentis nuper maxime illustrata. Ea *κατ' εξοχην* muscularis animalis vivi vel recenter extincti & adhucdum a morte calidi tribuitur, consistitque in eo, vt lacerti musculosi admoto irritamento alterne ad medium ventrem accedant alterneque ab eo recedant. Tertia denique est vis nervosa dicta, quod per nervos in musculos vis veniat, qua ad motum cieantur; hæc vna cum vita perit; quin etiam durante vita in statu morboſo interdum imminuitur & aboletur, vti in paralyticis. Hæc in nobis sanis voluntate regitur, qua imperante in actus erumpit.

§. 3. Tantum de actione muscularum præmittenda putavi, ne terminis antea non explicitis in sequentibus utar. Ductor nunc ordine ad antagonismi ideam evolvendam, de quo maxime differere constitui. Antagonismus deducitur a græco *αντί* & *αγειν*, vt verti possit actio in contrariam partem; sed talis verbalis explicatio in terminis technicis nondum sufficit, sed secundum mentem auctorum usumque

Quem penes arbitrium est & ius & norma loquendi, eorum definitio adstruenda est.

Vt quid per antagonismum intelligatur, magis elucefcat, in exemplo rem totam proponam. Pone carpum esse in æquilibrio, si cum antibrachio in eodem plano est, fac agant musculi extensores, tunc angulus inter dorsum manus & antibrachium intercipietur; iam vt carpus iterum in recta linea exorrectus sit, assumunt physiologi plerique, musculos ex parte opposita datos, flexores nempe, agere incipere, destruere extensorum

actio-

(*) Elem. phys. T. IV. p. 443. coll. p. 514.

actionem, eos superare, & reducere manum ad priorem statum æquilibrii, qui obtineatur, dum actio extensorum æqualis sit actioni flexorum, qui perpetuos nifus erga se invicem exerceant. Hoc & alia similia exempla (*) si in summam colligo, notionesque communes in iis contentas comparo, atque sic ad vniuersalem notionem adscendo, haud inepte forsitan antagonismum muscularum definiri concludo actionem continuam muscularum in corpore animali vivo in alias vires oppositas contrariantes, harumque virium actionem mutuam in eisdem musculo.

§. 4. Si casus, in quibus antagonismus locum habere assumitur, percurro, invenio in musculum exerceri antagonismum vel a vi mere musculari, vel ab alia quacunque. Considerabo primo eum casum, quando musculo iterum musculus opponitur. Ex mente aliorum hoc casu antagonismus locum habet, primo quando musculi non manifeste agunt, neque membrum aliquod movent, sed in statu quodam æquilibrii tenent, quem ipsum statum æquilibrii exinde deducunt, quod musculi, quamvis non videamus, perpetim operentur, se vi sua insita continuo contrahere conentur, atque sic actio vnius antagonistæ actionem alterius destruat. Hunc antagonistarum statum, ut in sequentibus brevior esse possim, vocabo statum æquilibrii, vel statum actionis non manifestæ sive impeditæ. Statum autem quietis antagonistarum dicam, si antagonistæ non continuo versus se invicem agunt & reagunt. Secundo autem antagonismus, quando scilicet musculus musculo opponitur, locum habere dicitur, si musculus se contrahit, accurtatur, intumescit, rugas agit, membrum, cui affixus est, movet, resistente continuo eius antagonistæ, eumque in pristinum statum reducere conante. Hunc statum vocabo statum actionis manifestæ, quippe quæ in sensu incurrit.

§. 5. Examinabo primo antagonismum in statu æquilibrii. Cum mihi vix & ne vix quidem persuadere possum, musculum, quamvis non manifestos motus edat, semper tamen operari, &

A 3

tan-

(*) Si aliud exemplum antagonismi notionem illustrans velis vid. HALLERVM ad Boerh. §. 125. p. 149. & 150.



tantum ab alio musculo impediri, ne motus actuales exerceat & membrum moveat, ab hac antagonismi idea recedendum esse putavi. Meam sententiam si proferre liceat, hac propositione eam commodissime comprehendi posse existimo: Musculi corporis animalis vivi ab actione manifesta sive contractione cessantes, nullum antagonismum erga se invicem exercent, i. e. non dantur tunc in iis nisus oppositi continuati, quorum ope in æquilibrio quodam retineantur, ita ut nullus motus manifeste sequi possit.

§. 6. Dubium contra oppositam sententiam movebat mihi istud omnibus numeris absolutum Ill. ALBINI opus de musculis, vbi de vsu partium musculi differens ait: (*) „Musculi „cum se remittunt, cessant agere.” Vbi autem cessatio ab actione assumitur, ibi de nisibus quibusdam oppositis non cogitur, sed potius vera muscularum quies statuitur. Cum autem hæc brevius pro more suo ab ALBINO dicta sint, possent eadem obscuriora censeri, quam ut legitimo ratiocinio inde inferri licet, hunc esse verborum sensum & hanc ipsam esse Magni Viri ponderosa auctoritate suffultam sententiam. Nolim certe in hac re ALBINIANO suffragio carere, cum magnis & claris viris contradicere cogar; hinc liceat alium adscribere locum, ex quo mens eius clarius patescat. In Annotationibus Acad. (**), quas post Hist. Musc. edidit, Ill. Physiologus hæc verba habet: „Quum fibræ carneæ musculi se remittunt, agere desistunt. „Naturalis quidem musculo tum quies, h. e. remissa laxitas; „tum actio, hoc est intenta contractio, illa autem commoda, „hæc violentior. Itaque credas quietum, donec cauffa accedit, „qua impellatur & cogatur ad agendum. Quam cauffam „aut voluntatem nostram esse videmus, aut quandam, quæ „irritet, aliam. Eaque desistente aut remota, consentaneum „est, musculum ex statu violentiore redire ad commodiorem, „h. e. quietem.” Puto ex hisce patere, ipsum ALBINVM & fovere & adstruere hanc sententiam, nec reminiscor eum aliter docentem audivisse; ex cuius auctoritate hæc sententia iam magnam

(*) Hist. Musc. L. I. C. III. p. 17.

(**) L. II. C. 16. p. 68 & 69.



gnam veritatis speciem præ se fert, vt vix opus sit plura addere. Explanabo tamen ulterius hanc doctrinam, dein argumenta pro opposita examinabo.

§. 7. Musculi officium est, vt se contrahat, hinc si non est contractus, credas eum feriari a suo officio, grataque frui quiete. Si simili quodam vti velis, compara musculum cum instrumento artificis, dum instrumentum artifex prehendit, effectus edit, postea, si iterum seponit, plenarie quiescit, omnesque nifus ad hunc effectum ulterius producendum cessant: pariter musculus contractus activus est, non contractus iners est instrumentum atque quiescens, quod tamen semper ad motus aptum manet. Cur muscularis post peractos motus quietem tribuam sequentes rationes suadent:

- 1) Primo minus naturæ videtur consentaneum esse, quod quies muscularum in C. H. non potuerit obtineri, nisi per eorum nifus oppositos, qui se invicem destruant, ne actualis motus continuo sequatur.
- 2) Secundo nil percipio de tali continuo nisu in musculo non contracto adeoque non manifeste agente, quod tamen fieri debere non solum ii concedant necesse est, qui totum C. H. ab anima regi contendunt, sed & ii, qui antagonismum exinde (*) derivant, quod a contractis adversariis moleste afficiantur antagonistæ, ut ab hoc dolore irritati se vicissim contrahant & in adversarios suos agant.
- 3) Si non contractus musculus est, tunc laxatur, remittitur, flaccidus fit, testantibus omnium observationibus. Hoc phænomenon est eorum sententiæ plane contrarium, qui haud gratam ab omni actione cessationem muscularis concedunt, sed nifus perpetuos contractionis in iis superesse durius statuunt.
- 4) Porro dum musculi non in statu actionis manifestæ sunt, non defatigor per integrum diem, quod fieret, si nifus continuos ederent. Etenim quî fit, vt dum firmo brachium meum, ne hinc inde moveri possit, & tunc musculos stringo nifusqueedo, vix ferre possim, quin delassatus intra pauca minuta desistere debeam;

(*) Conf. HALL. Elem. Phys. T. IV. p. 560.



debeam; certe eandem defatigationem minor nifus sed diutius continuatus produceret, quam maior nifus intra breve tempus. At ego nullam in non contracto musculo sentio lassitudinem, atque hinc eum potius quiescere quam operari suspicor.

§. 8. Promisi antea examen argumentorum pro altera sententia militantium, quod eo magis nunc suscipiendum puto, quia sic meæ datæ rationes vterius illustrabuntur ex dubiis isti modeste opponendis, atque simul nova promeæ sententiæ veritate probatio accedet. Scilicet apparet veritas alterius propositionum contradictionie oppositarum, altera remota. Ne autem audiabatarum more pugnare videar, paucis aliter sentientes allegare deceret; verum cum ipse Ill. HALLERVS muscularis quietem deneget, eosque potius perpetim operari assumat, non transscribam auctores eandem sententiam amplexos, quos, HALLERVS diversis locis in vasto suo universæ eruditionis physiologicæ thesauro collegit, additis simul omnibus iis argumentis, quæ speciem veri habent, & pro ipsius hypothesi militare possunt. Antithesin itaque legitimate determinaturus, eam non distinctius & exactius exprimere possum, quam si ipsissimis Ill. HALLERI verbis vtor. Ita autem Cel. Physiologus: (*) „Satis cauſſæ est, „ait, cur omnino perpetim musculos operari credas, etſi non vi- „des, quæ etiam plurimorum physiologorum fuit sententia. An- „tagonistarum inprimis phænomena eo ducunt. Certum autem „est, antagonistarum altero reſecto, etiam debilitato, continuo „alterius conspicuam emergere actionem, artumque extensore „laxato, continuo, etiam invito homini flecti. — —. Hoc phæ- „nomenon non potest ita explicari, vt ex deſtructione antagoni- „ſtæ novam in musculo actionem naſci credas. Manifestum est, „dum vterque antagonista integer ſupererat, eorum quemque „ſuas in partes artum traxiffe, ſed eas actiones a natura con- „temperatas fe deſtruxiffe, vt fieret æquilibrium.,, Hæc ſi ita ſe haberent, tunc homo in ſtatu quietis cum machina ex multis bilancibus artificioſe composita conveniret. Scilicet ſecundum han-

(*) Elem. phys. Vol. IV. p. 447.

hanc sententiam membrum quodcunque v. g. brachium concipere licet ut scapum in bilance, musculi flexores & extensores autem sunt lances vel pondera appensa, quorum actiones ita inter se invicem destruuntur, ut æquilibrium obtineatur, (*) motus autem omnis ob antagonistas æqualiter in vtramque partem trahentes plane impediatur, quamvis revera continua ad motum sollicitatio adsit. Sed hic status nimis violentus videtur, quam ut cum Natura humana conveniat, in qua alias motum excipit, hinc & PETRONIUS cecinit:

Non vna contenta valet Natura tenore,
Sed permutatas gaudet habere vices.

§. 9. 1.) Primo iam disquiram, an ex isto allegato phænomeno, quod altero antagonistarum resecto, alterius actio conspicua emergat, legitime deduci possit, esse continuam antagonistarum erga se invicem actionem. Largior facile, resecto, ut rem in exemplo clarius proponam, digitorum extensore, digitos deprehendi flexos, neque hoc omnino fieri, ut HALLERVS adnotat, quod ex destructione antagonistæ nova in altero opposito actio nascatur, at in eo me dissentire confiteor, quod digitus, resecto extensore, flectantur ob continuam actionem flexoris, quæ tunc, sublata resistentia extensoris conspicua fiat. Quamvis nullum vis insitæ actum continuatum assumam, mihi tamen non mirum videtur sub hac conditione flexos inveniri digitos. Numerosa circa irritabilitatem ab HALLERO capta experimenta demonstrant, saepius uno musculo irritato alios præsertim vicinos in consensum trahi, quin accidit, ut vna altera ve parte læsa totum corpus convulsum misere hinc inde iactitur. (**) Hinc in casu substrato, absctisso extensore, flexor per consensum irritatur, irritatus agit, agens digitos contrahit. Non superadditur flexori nova vis ex destructione antagonistæ, quæ quasi ex eo in alterum transeat, neque continuato solum actu agit, sed ut scapula verissimum est musculi vim insitam a quocunque irritamento vel foris vel intus admoto incitari, ita etiam in hoc

B

casu

(*) Talem comparationem instituit KRÜGER in der Naturlehre Tb. II. p. 753.

(**) cf. Ill. GAVBII Pathol. §. 178.



casu vis infita flexoris ad actum stimulatur a translato irritamento ex vulnere extensoris.

§. 10. At si quis argumentum vrgeat, & in eo maxime eiusdem vim positam esse existimet, quod digiti flexi maneant, atque hinc demum deducere velit, quod musculi semper agant: huic responderem, nil singulare esse, digitos flexos manere, cum iam instrumentum deficiat, quod eos extendat. Restant ergo necessario in eo statu, quo sunt, cum nulla mutationis caufsa addit; vt taceam stimulum in flexore diutius perdurare posse, atque ideo quoque extensionem impossibilem fieri.

§. 11. II.) Secundum pro antagonismo argumentum ex statu morboſo desumunt. Provocant sc. ad istum statum, quo post hemiplegiam resolutis musculis vnius lateris os versus oppositum distorqueatur, (Trismum diastrophen vocat eum termino technico de **S A V V A G E S**) (*), ab eoque ad continuam muscularum erga se invicem actionem concludunt (**), quod inde patefcere putant, quia non amplius contranitentibus musculis lateris hemiplectici actio antagonistarum lateris oppositi emergat. Magnam quidem veri speciem hoc argumentum habet, non tamen defunt, quæ responderi possunt. Antagonismus perpetuus dependet secundum **H A L L E R V M** a vi insita, non a nervosa, hæc enim non est perpetua (***) , fed, testante hoc ipso Ill. Auctore, paralyfis vim quidem nervosam deſtruit non autem insitam (****), hinc difficulter comprehendas, cur antagonistæ lateris hemiplectici musculos lateris oppositi superent & trahant, cum tamen musculi lateris hemiplectici ex afferto **H A L L E R I A N O** nil de sua vi insita amiferint, ideoque æquilibrium non potuerit deſtrui. Dein si ista distractio oris a sublata æquilibratione virium musculosarum continua effet derivanda; tunc necſario musculi genæ ſinistræ fani hominis angulum oris ſinistri levarent & diſtorquerent, fi v. g. genam dextram ſic detrahen- do & manu verſus alterum angulum oris premendo hemiple-
xiæ

(*) Nosol. Meth. T. II. P. II. p. 21.

(**) KRUGER *Naturlebre* Tb. II. p. 754.

(***) Elem. Phys. T. IV. p. 69.

(****) I. c. p. 447.

xixæ affectus eatenus imitarer, vt omnis reactio huius lateris
 respectice deleretur, sed quotiescumque experimentum facio, nul-
 lus distractionis paralyticæ similis sequitur effectus, ex quo hoc
 symptoma hemiplecticorum aliter explicandum esse puto. Cum
 non in omnibus hemiplecticis occurrat, sed plus minus in hoc
 vel alio aliter & aliter determinato statu morbo; potius a
 spasmō singulari derivandum esse censeo. Vidi nuper hemiple-
 cticam cum oris distorsione, video nunc non amplius os distor-
 tum habere, quamvis alterum latus vti antea paralyticum per-
 sistat. Putem solum spasmum in altero latere cessare potuisse,
 præsente effectu paralyseos in altero latere. Video & alios
 hemiplecticos caput erectum, non ad sanum latus inclina-
 tum habere; si suppono in latere paralytico resolutos esse muscu-
 los, & ideo in fano actionem antagonistarum prævalere diffi-
 culter, intelligo, cur non æque caput distorqueatur & in sanum
 latus cogatur. Si miros spasmos, musculos faciei interdum in-
 festantes, sub nomine spasmī Cynici, Risus Sardonii, torturæ
 oris notos, perpendo, quos ex observatione practicorum ex di-
 versissimis caussis a dolore pedis (*), ab herniotomia (**), a læ-
 sione diaphragmatis (***) a vulnere genu (****), saepius a vul-
 neribus capitis tendinibusque læsis, plerumque a castratione,
 ortos scimus, vix a me impetrare possum, quin illis assentiam,
 qui consensum singularem partium quarundam cum nervis fa-
 ciei in C. H. adesse statuant. Similem itaque læsionem sub he-
 miplegia interdum accidere posse, quæ etiam e longinquo mu-
 sculos faciei irritet & spasmodice contrahat, minus absurdum
 invenio; atque cum in hemiplecticis plerumque singularissimum
 cerebri vitium oriatur, eo minus mirum esse existimo, quod tunc
 tale vitium in proxima vicinia singulares in musculos faciei sti-
 mulos exserat, cum verissimum sit per experientiam vitium ce-
 rebri ita se habere posse, vt eo exorto vnum latus paralytice re-
 solvatur, alterum vero convellatur. (*****)

B 2

§. 13.

(*) Dissert. Car. Aug. a BERGEN de Nervo intercost.

(**) Act. N C. Dec. III. A. 5. obs. 37.

(***) Ill. Morgagni de sedibus & caussis Morborum Epist. LIII. art. 6. p. 313.

((****)) RIEDLINI Lin. Med. Dec. I. obs. 5.

((*****)) HALL. Elem. Phys. T. IV. p. 333.



§. 13. III.) Tertium argumentum exinde petunt (*), quod membra plerumque parum inflexa observentur, cuius phænomeni caussam in eo quærunt, quod flexores extensoribus plerumque fortiores sint, atque sic superpondium virium in flexore sit, cui tractus extensor sequatur. Vera est, quam nequaquam suspectam reddo, observatio, quod plerumque articuli parum inflexi sint; at quæstio est, an id inde dependeat, quod flexores prævaleant, & sic in partem contrariam extensores trahant, Credo potius hunc esse statum quietis post actionem muscularis concessæ, non autem æquilibrii cuiusdam ex potentiis sibi invicem obnitentibus & se se destruentibus orti. ALPHONSVS BORELLVS egregius & mathematicus & physiologus meam sententiam hac propositione roborat: "Naturalis situatio articuli non est directa, sed parum inflexa (**)." Id quod probat ex experientia provocando ad id, quod quisque experiatur talem situationem sibi esse commodissimam. Naturalem autem situationem seu inflexionem medium BORELLVS vocat, quando tam musculus flexor quam extensor plane nil agunt, vti patet ex eius propositione CXXXI. I. c.

§. 14. Statum naturalem & quietis esse parum inflexum confirmat quoque istud chirurgorum consilium, quo iubent in fractura v. g. digitorum deligationem sic fieri, vt dorsi aliquantum inflectantur; præsertim vetant, ne recta extendantur, quia alias facile rigidi fiant (**). Minus prudens videtur consilium, si ideo flexus est digitus, quia distractus extensor sequitur prævalentem flexorem; tunc enim quis potius ex hac theoria existimaret, sic deligationem esse administrandam, vt debilior firmaretur extensor, & nimis distrahere conanti flexori resistetur; istum quippe situm pro convenientissimo quisque iudicaret, in quo debilior muscularis a fortiore antagonista minus distraheretur.

§. 15. Quod modo ex chirurgico consilio confirmari dixi, de hoc eodem etiam observatione convictus sum. Vidi Viennæ in

(*) HALLER I. c. p. 447 & 501.

(**) de Motu animalium P. I. C. XVIII. Prop. CXXIX.

(***) v. D. Henkels Abhandlung von Reibrüchen und Verrenkungen. Art. XIX. p. III.

in Nosodochio Hispanico in contignatione pro militibus ægrotis militem, cuius tendines extensores ab explofa bombarda dissidente rumpebantur, at, quamvis digitos non amplius extenderet posset, nequaquam tamen animadverti, digitos multum intra volam trahi, sed manere tantummodo inflexos, ut in statu naturali, cum necessario contrarium accidere debuisse, si continuo fortior ageret flexor, qui iam nullam resistentiam habuisse atque sic multo magis flectere potuisset.

§. 16. IV.) Refert denique Ill. Hallerus (*) inter argumenta, cur omnino perpetim musculos operari credat, "quod ossa ad eam sedem incurventur, quo flexorum superior vis ducat." Hinc credit (**) femur v. g. "esse curvum quod potiores musculi id perpetua sua tractione in suas partes trahant." Vix & ne vix quidem mihi persuadere possum hanc ossium incurvationem probare muscularum actionem continuam, si caussam incurvae femoris figuræ in tractione muscularum quærere vellem, tunc eam æque a contractione muscularum interdum contingente quam ab eorum actione continuata, a vi insita dependente, deducere possem, at vix audeo tantum musculis in conformandis ossibus tribuere, ut ab eorum actione ossium figuram quin & eminentias, ut HALEERVS, derivem; sed potius æterna lege constitutum esse existimo, ut ossa quædam hoc illo modo incurva sint, has illasve eminentias habeant, quia sine dubio commodius sic inserviunt fini obtineudo, qui præcipuus esse videtur, ut musculis, motuum instrumentis, sint fulcimento, sed eadem non sunt incurva, quia hic illeve musculus valenter ea sic cogit & torquet. Considerans sceleta embryonum a RYVSCHIO, KERCRINGIO aliisque depicta, animadverto in iis ossa iam esse incurva atque habere hinc inde eminentias, quamvis in his motus muscularis aut nil aut certe non tantum valere potuerit. An credam ab actione muscularum oriri processum mammillarem? Quod hic processus in foetu non sit, quia eum musculi trahentes nondum coegerint exire, sed quid respondeam rogatus, quid sit, quod meatum auditorium osseum.



seum ex simplici annulo osseo in longiore canalem producat? An dicam, vt meatus auditorius hoc modo oblique excrescat, naturæ lege constitutum esse? Cur ergo non idem in processus mastoidei incremento fieri affirmem? Gratis assumimus eiusmodi explicationes, nisi viam quandam singularem naturæ agnoscamus, quæ in quavis parte virtutem singularem recondidit, vt hoc illove modo crescat. Infectis quibusdam, v. g. Coleopteris natura ossa stricte sic dicta non concessit, sed dedit iis analogum quid, tegit nempe illa substantia quadam quasi cornea. Video in eorum pedibus varias eminentias, productiones, hamulos, sed nullum musculum invenio, qui tales efficere potuit. Si secundum Cl. BONNET (*) musculus in istam substantiam reconditus latet; tunc actione sua versus exteriora eminentias protrudere non valet. Sane regulæ mechanicæ contrarium effectum exigerent.

§. 17. Patere ex allatis responsionibus arbitror, argumenta pro muscularum continua actione & reactione omnino non convincere, hinc tam quiete in mea sententia adhucdum recumbo, quam musculi, quos grata interdum requie frui ostendere conatus sum. Potentiam agendi semper in iis remanere facile concedo, adesse vero non interruptum actionis exercitium ex antecedentibus rationibus omnino nego.

§. 18. Postquam consideravi antagonismum in statu æquilibrii, iam transibo ad antagonismum considerandum, quando musculus musculo opponitur, & in statu actionis manifestæ constitutus est, sive motus actuales edit. Difficulter in hoc argumento versor ob diversitatem systematum & sententiarum, quæ pro motu musculari explicando excogitata sunt; non autem huic hypothesium pelago me immergam, sed ea tantum attingam, quæ ad rem præsentem pertinent. Cum quidam in explicando antagonismo muscularum nullam musculi agentis spontaneam remissionem admittant, sed restitutionem fibrarum

in

(*) cf. Contemplation de la Nature T. I. p. 53. „le caractere, qui paroit distinctement les insectes des autres animaux, est, qu'ils n'ont point d'os. Les parties analogues, dont quelques espèces sont pourvues s'y trouvent placées à l'extérieur du Corps au lieu que dans les autres animaux les os occupent constamment l'intérieur.“

in statum pristinum a sola vi antagonistæ in contrariam partem trahentis deducant, proponam paucis, quomodo mihi reciprocum muscularum motum repræsentem, vel ut in exemplo distinctius loquar, quomodo fiat, ut flexo uno altero ve membro, id iterum ad statum quietis accedat vel extendatur. Repeto autem, quæ iam præfatus sum, me non loqui de motu muscularum in se spectato neque de caussa contractionis muscularum effidente, sed de phænomenis seu mutationibus in muscularum motu alterno evidentibus.

§. 19. Admoto irritamento musculus vivus in statu actionis non manifestæ constitutus iam in statum actionis manifestæ transit, i. e. evidenter contrahitur; & post hanc contractionem iterum sua sponte se remittit, & ad quietem redit sine illa vi extranea, quæ ei obnatur vel contra-agendo eum retrahat, sed tantummodo, quia caussa contractionis cessat, redit ipse vi propriæ in statum quietis commodissimum. Hoc ergo est primarium post contractionem musculi momentum, vt ad istam gratam quietem sponte accedat, ex quo ipso iam intelligitur, quod, si flexus v. g. digitus non tantum ad quietem accedere, sed & extendi debet, non assūmam, subitanea actione extensoris actionem flexoris deleri, sed quod potius statuam, flexorem sua sponte se remittere eo ipso momento, quo extensor agere incipit, ne dupla vel adhuc maior vis extensoris pro digito exten-dendo impendenda requiratur.

§. 20. Tota meæ sententiæ probatio in eo consistit, ut ostendam, dari spontaneam muscularum remissionem sine omni antagonistarum auxilio. Clara experientia ita rem se habere in exemplo, quo omnia exacte observari possunt, a motu maxillæ inferioris desumpto evincere possum. Elevant maxillam musculi temporales, pterygoidei interni & masseteres. Masseteris actio uti fortissima, ita etiam ob situm magis observabilis est. Stupendam vim hic musculus edit, vide, quæ HALLE-
AVS collegit (*), nam quamvis alii musculi ad ingentes istos in firmando maxilla effectus concurrant, ipsi tamen præcipua efficacia debetur. Temporalium & manusiorum muscularum

vim

(*) I. e. p. 486.



vim motivam æstimat BORELLVS (*) æqualem MDCXX libris. Attamen masseter se restituit sine auxilio antagonistæ, quod ipse quivis experiri potest applicando manus ad genas. Attrahe maxillam inferiorem, nitere, vrge, contrahe masseterem, quantum potes, impinge dentes contra dentes: En turget musculus, sic accurtatur, vt versus medium, quasi in glomerem collectus etiam cutem versus exteriora extrudat, quin nisi insuperabile maxilla superior esset repagulum, crederes adhuc multo maiorem circuli partem in motu suo maxillam esse descripturam; adeo vehementer agit, adeo indurescit, vt tangendo non mollem carnem, sed potius durius os sentias. At ego hunc valide contractum & accurtatum musculum sponte mea relaxo, nullos ablego spiritus animales ad antagonistas, qui hunc heroëm vincant, sed volo, vt cesset agere, & mox quiescit. Nam possum eum remittere, vt dentes, qui firmissime sub contractione se invicem eontingunt, ne vnica quidem lineola a se invicem dimoventur; sentio nihilominus eum iterum mollem, non obnitem amplius, non amplius versus exteriora protrusum. Ergo relaxatur sponte sine antagonista. Est enim masseteris antagonista præcipuus digrastricus, qui maxillam deorsum deprimit, sed maxilla mihi immobilis persistit, quamvis remittatur ille musculus, vt ergo non ab alia vi eius actio destruatur, sed ipse potius me volente quiescat.

§. 21. Neque ad alium quemcunque musculum nisi ad πλατυτμα μνωδες provocare poteris, qui forsitan in vicinia constitutus aut cum massetero quocunque modo connexus, eum immota maxilla restituat & reducat, sive naturam in ipso cadavere consulas, sive felicis Naturæ imitatoris Summi ALBINI Tabulas myologicas sive egregias EVSTACHII ab ipso ALBINO laudatissimas figuras ante oculos habeas. Sed πλατυτμα μνωδες vix heic iure allegari potest, quod reducat; vt enim taceam, hunc musculum esse tantummodo cutaneum, debilissimum & tenuissimum, notandum maxime, quod saepius ex ea parte, qua ad masseteres interdum excurrit, deficiat. Hinc & EVSTACIUS (**) eum sic depingit, vt certe masseteris antagonista esse nequeat.

(*) I. c. L. I. Prop. CXXVII.

(**) Tab. XXX. In Editione Albiniana litt. y.

queat: Negandum quidem non est inveniri interdum, quamvis rarius, membranaceum musculum, qui aliquando pro parte latissimi colli aliquando pro musculo distin^{to} haberi possit, qui nonnunquam circa medium masseteris partem oriatur, aliquando ex ipsa tendinosa masseteris superficie. Vocavit hunc muscolum Ioh. Domin. SANTORINVS risorium novum (*), in distinctione ad gelasten antiquioribus (**), nobis plerumque Zygomaticum majorem dictum, designavitque I. c. Tab. I. litt. n. At, si etiam semper rarer hic SANTORINI musculus adest, nullam tamen in masseterem vim exercere posset; est enim proprietatum musculus cutaneus, qui laxa plerumque cellulosa masseteri adne^ctitur, firmius autem cuti adhæret, cui trahendæ maxime etiam destinatus videtur; dein insuper non sat firmum punctum fixum haberet, quo suffultus actionem sufficientem contra fortissimum antagonistam ederet; denique nullo modo sentimus intunescere πλατυσμα μυωδες eiusque partem ad masseterem excurrentem, dum masseter remittitur, id quod tamen necesse esset, si tanquam antagonista huius actionem destrueret.

Quin quisnam quæso esset antagonista, qui Crotaphitæ & pterygoideo interno obniteretur? Potes tamen pariter horum relaxationem admota manu sentire, quamvis maxilla inferior non ducatur. Nil ergo est, quod vlo modo musculis maxillam attrahentibus obnatur, eosque vincat, solus, si parvum pondus ipsius maxillæ excipias, digastricus est, qui in oppositam partem agit maxillam deducendo. Ast si etiam nullam istius in sensus incurrentis evidentissimi experimenti, quod musculi maxillæ remittantur non dimotis a se invicem dentibus, rationem habeam, quî credam musculos adeo fortes, vt eorum operientes moles attollantur, pomorum Armeniacorum ossicula diffingantur, pro quibus alias vis premens CCC libris æqualis requiritur, a digastrico superari, qui certe vix majori vi maxillam inferiorem detrahit, quam quæ XV vel XX libris æqualis sit.

§. 22. Aliud adhuc exemplum addere liceat. Musculi orbicularis palpebrarum actio præcipue in eo consistit, vt palpe-

C

bras

(*) vid. eius Observ. Anatom. C. I. §. 34.

(**) Notas, EVSTAGHII Tab. XXXII. illustrantes, a Maria LANCISIO datae.

bras ad se invicem adducat, comprimat, corruget. Quinam autem huius musculi potest esse antagonista? Attollit palpebram quidem ad oculum aperiendum levator palpebræ superioris, atque sic hic musculus posset esse antagonista orbicularis. Sit ita, si placet, at levator potest certe tantummodo in superiore partem orbicularis agere, quid ergo deprimit eiusdem inferiorem? Ad nullum alium musculum cum aliqua veri specie provocari potest, nisi forte ad gracilem quandam portionem, quæ secundum ALBINVM (*) interdum ab orbicularis inferiore parte secedit, & se ad exteriorem marginem levatoris labii superioris adiungit. Sed interdum tantum ab ALBINO hæc portio inniri dicitur, cum tamen omnes homines clausos oculos bene iterum aperire possint, quamvis fateri fas sit, SANTORINVM, qui eam primus descripsit & depinxit (**), pro constanti habere. Quicquid sit, non qua antagonista orbiculari hæc portio apposita esse potest. Nam tenuis nimis est, vt vix aliquid efficere valeat. Dein vice versa orbicularis huius portionis antagonista esse deberet, atque hinc requireretur, vt contracto orbiculari labium superius levaretur, quia hæc portio sequi deberet actionem fortiorum antagonistæ, id quod tamen contra experientiam est; nam ego firmiter oculum claudere sine levatione labii possum. Nil certe requiritur, nisi vt cesses contrahere orbicularem, qui tunc per se relaxatur, cuiusque fibræ antea contractæ iterum se explicant & in priorem situm statumque redeunt, quo ipso fit, vt palpebra inferior non amplius adducta maneat.

§. 23. Eandem spontaneam muscularum relaxationem, quam modo allata exempla probarunt, confirmat quoque spasmorum consideratio. Spastice interdum hic illeve musculus tam vehementer contractus est, vt membrum, quod eius actionem sequitur, vix vlla vi in situm naturalem restitui possit, si iam musculus contractus non posset iterum pristinam acquirere longitudinem, nisi eum antagonista retraheret, tunc non sperandum esset,

(*) Histor. Musc. p. 147.

(**) In observat. An. fig. I. lit. O.

eset, spasmodum in tali casu vñquam cessaturum esse, quia antagonistæ vires pro tanto effectu edendo deessent.

§. 24. Præsumo sic satis confirmasse, non dari talem antagonismum, secundum quem musculi perpetuo in se invicem agunt, & vñus alterius actionem destruit. At si vocabulum latiori sensu sumas, tunc facile antagonismum concedo, si scilicet tantummodo actiones muscularum in oppositam plagam antagonismum appelles. Sic verum est, requiri, vt homo incedere possit, antagonistas, seu instrumenta, quæ versus anteriora & versus posteriora pedes movere possunt, adeoque actionem contrariam seu oppositam edunt. Sed si simul assumitur, musculum contractum non posse relaxari nisi alius antagonista contra contractum musculum suam actionem exerceat, tunc omnino ab hac antagonismi idea recedo.

§. 25. Ne autem hanc antagonismi ideam auctoribus affixisse dicar, provocabo, omissis iis auctoribus, qui, ab HALLERO allegati, caussam relaxationis muscularum ab antagonista deducunt, ad Ioh. de GORTER (*), qui expressis verbis dicit: „Musculus semel contractus nunquam sponte acquirit pristinam longitudinem, si non accedat contractio contraria ipsius antagonista impulso liquidi extendente aut caussa externa tendente.”

Scilicet dum Vir Celeerrimus contractionem muscularum exinde deduxit, quod fibræ musculosæ cylindricæ sanguine repletæ per fibras nervosas intertextas stringantur, atque sic inviculas fibræ longitudinales eleventur, coëgit eum semel assumta hypothesis, vt ad actionem & reactionem mutuam muscularum provocaret; debuit enim habere potentiam contrariam, quæ nodosas fibras iterum in æquabiles reduceret. Non est, cur huic theoriæ multum immoremur; falsam supponit musculi structuram, tribuitque nerveis fibrillis, quod nequaquam efficere valent; istæ enim musculum ingredientes depoñunt externum involucrum, fiuntque molles, vt nequaquam ab iis stricturam expectare possis. Plurimi physiologi, testante HALLERO (**), caussam relaxationis musculi explicaturi pro-

C 2

vocabant

(*) vid. Compend. Medic. Tract. XVIII. s. 36.

(**) l. c. p. 560.



vocant ad antagonistas, qui moleste extensi, a contractis
adversariis eos vicissim sua contractione extendant. Ipse
Ill. HALLERVS an remissionem musculi ab antagonismo
derivet, nec ne, dubius hæreo. Credas si ipfius primas lineas
physiologiæ legas, vbi (*) nervosa, vti solet, brevitate totam
suam de antagonismo doctrinam vnico paragrapho complectens
dicit: „Adiuuat motus muscularis facilem remissionem anta-
„gonistarum opera. Vbique nempe in C. H. musculus quilibet
„æquilibratur vel pondere opposito, vel elatere, vel musculo,
„vel liquido, quod cavo musculo expellenti renititur. Ea caus-
„sa quæcunque sit, operatur perpetuo, etiam dum musculus
„agit, & quam primum accessoria celeritas remisit, quæ a ce-
„rebro advenit, obtinet conando, vt artus aut pars quæcun-
„que in statum priorem reponatur, in quo statu æquilibrium
„est inter musculum causamque oppositam. Quoties antagonis-
„mus a musculis est, adcedit, quod nullus musculus possit con-
„trahi, quin extendatur antagonista, vnde, distentis nervis,
„nato sensu incommodi, etiam magis ad restituendum æquili-
„brium nitatur., At si curatius in eiusdem de rebus physiolo-
gicis meritissimi auctoris sensum inquiero, intelligo ipsum non a
plurimorum physiologorum partibus stare. Invenio enim ipsum,
cum posterioribus curis (**) totam de motu musculari doctri-
nam proposuit, pro relaxatione musculi nullum postulare anta-
gonistam, atque hoc ipsum suum assertum inde probare, quod
cordis fibræ nullum adversarium naætæ laxentur & constringan-
tar. Nihilominus non plenarie omnem antagonismum reiicit.
Secundum ipsum l. c. musculus vi voluntaria contractus in laxi-
tatem suam & longitudinem per se restituitur, sed quando vis
nervea contractrix de musculo recessit, tunc demum antagonis-
tæ actio ope vis insitæ sequitur. Id quod, quomodo fiat & quo-
modo hunc antagonismum intellectum esse velit, distinctissime,
putem, disci potest ex Elem. Phys. T. IV. p. 507., vbi docet,
qua ratione vis nervosa ad insitam accedat, illiusque ope mem-
brum

(*) §. CCCCXVI.

(**) Elem. Phys. T. IV. p. 960. seq.

brum extendatur : „Extenditur, inquit, membrum pro ea vi
 „nervea, quæ extensori adiecta est. Ita non subito nascitur vis
 „extensorem inflatura & omnia eius elementa in contractionem
 „excitatura. Verum ei aliquod virium superpondium adiicitur;
 „a quo non plena contractio extensoris per omnia eius elemen-
 „ta in tantillo tempore requiratur; ea enim vis dudum in mu-
 „sculo fuit, sed aliquis in viribus excessus. Eo tamen modo
 „nullum haetenus obtinetur virium compendium, et si velocitas
 „actionis musculosæ forte augetur, sola tamen vis nervosa no-
 „viter generata efficax supereft. „ Recte mihi omnino pro hac
 Ill. HALLERI sententia vterius dilucidanda ad hunc locum pro-
 vocasse videor, cum idem post cessantem actionem muscularum
 voluntariam, (i. e. dum musculus remittitur) obtineat, quod
 ante eam inceptam locum habuit, hinc non opus erat, vt HAL-
 LERV S eadem dogmata de remissione muscularum, quæ antea
 de modo, quo e statu non contracto in statum contractionis tran-
 feunt, dedit, denuo repeteret.

§. 26. Sequitur ex his ratione relaxationis muscularum,
 e. gr. extensoris cuiusdam, quod quidem vis nervosa sponte ces-
 set, sed quod hic idem extensor ideo non ab omni actione des-
 stat, sed quod habeat adhuc vi sua insita quædam elementa con-
 tracta, quæ in flexorem agant, cuius elementa pariter contra-
 cta sint, ideoque reagant, atque cum flexor sit præpotentior, ea
 extensoris superent, vt ita antagonismus a vi insita dependens
 locum habeat. Pulchrius certe, quam alii physiologi, hac ra-
 tione motum muscularum Ill. HALLERV S explicat, suaque ex-
 plicatione id lucratus esse videtur, vt quis facilius velocitatem
 motus muscularis comprehendat. Nihilominus mentem meam
 dubia quædam subierunt, quæ primo contra hanc sententiam
 movebo, dein autem examinabo, an ea explicationi velocitatis
 motus muscularis faveat.

§. 27. Ostendi iam antea musculos, dum relaxati sunt,
 gaudere quiete, neque considerandos esse vti lances in bilance,
 in quibus continua ad motum sollicitatio est, quarumque actio-
 nes æquilibratæ se invicem destruunt. Hoc autem supposito
 tota Halleriana explicatio nititur, quod cum iam antea pluri-

bus removi, nunc tantummodo ad prius dicta provocare possem:
Addam tamen pauca.

Si v. g. digiti, quorum status parum inflexus secundum Borellum naturalissimus est, in statu quietis sunt, quantum quidem sensus observare possunt, tunc ipse HALLERVS concedat necesse est, in extensoris elementis minimam contractionem obtinere, non solum, quia actionem extensoris i. e. quandam elementorum contractionem præpotens flexor necessario destruere debet, sed &, quia alias non intelligitur, cur & in statu quietis vis a natura adhibetur, quæ nullius usus esset, sed plane perderetur. Potest enim a situ naturali v. g. digitus ulterius versus volam flecti, ut saltim tertius artculus eam contingat, sequitur tunc musculus extensor, id quod non aliter fieri potest, nisi ut non solum omnem suam contractionem (si scilicet secundum assumtam hypothesin etiam adhuc aliquam habuit) plenarie perdat, sed etiam distrahatur, & quidem ea proportione, qua flexio maior minorve est, idquod cuivis experiundo patescat, si filum in directione tendinis extensoris ad digitum v. g. medium applicabit; videbit enim tunc, quod, quo magis digitus flectatur, eo minus fili longitudo sufficiat, si autem iam ad apicem firmiter affixum filum supponitur, tunc quidem si se qui debet, distrahatur necesse est. Manifestum ergo est, quod agente vi nervosa in flexore, elementa non possint in extenso esse contracta, sed potius distracta. Neque, dum hæc mecum perpendo, hæc theoria istum usum habet, ut facilius actionis muscularum reciprocæ velocitatem explicet, nam manifesto in hoc casu extensor iam acturus debet primo superare statum violentum suæ distractionis, dein resistentiam antagonistæ contracti superare, antequam se contrahere possit, ut digitus extendatur.

§. 28. Meretur ista velocitatis explicandæ prærogativa, quam antagonismi patroni suæ theoriæ tribuunt, adhuc curius excuti, præsertim cum quidam ope antagonismi etiam compendium virium in motu musculari obtinere contenderint.

Solam

Solam velocitatem per antagonismum assumtum Halleriana theoria lucratur, secundum quam ob contractionem quandam semper in musculo superstitem, accedente vi nervosa, reliqua elementa celerius in contractionem carentur. Habetur ergo sic ex mente HALLERI temporis, non autem virium compendium; sine dubio ex hoc fundamento, quod summa virium eadem requiratur, sive eae simul generentur, sive tantummodo ad priores nova accessione fiat. At vicissim contra hanc hypothesin obiicerem, quod sic iactura virium fiat. Cur enim istae vires superstites adfunt, si non sine nova accessione virium operantur? An ideo solummodo, ut major velocitas obtineri possit? Quid si quis extensor per totum diem non operetur, an nihilominus tot vires semper agentes continuo applicabuntur, tantum ut vna alterave actio eo celerius fiat? Annon tales vires semper reparari deberent, cum omnibus per se pateat, vires in corpore humano continua nisibus perdi? Sed qualis haec profusio virium esset, quae semper renovari deberent, quamvis nullum effectum produxisserent? An quæso ea machina perfectior est, in qua dispensum virium fit, quam ea in qua dispensum temporis est? Annon autem haec iactura virium est, si vires quædam semper operari debent, & effectus tantum accendentibus novis viribus sequuntur? An quæso is, qui plaustrum aliquot millibus librarum onusto duos equos iungit, qui semper movendo nil promovent, continuoque nitendo nil proficiunt, donec adhuc quatuor alii accedant, rem suam melius instituit, quam is, qui statim sex iungit, e quibus bigæ nisibus nondum solutæ & fatigatæ sunt? Scio omne simile claudicare, at in eo omnino convenire videtur, quod vires quædam certo modo applicentur; hinc eatenus quadrat, quatenus de viribus quibusdam hoc illove modo applicatis quæro, neque quicquam ultra intendo.

§. 29. Sunt, quibus velocitas facilius explicanda non sufficit, sed qui ipsarum virium compendium assumunt. Recenset eos

LERV



ILL. HALLERVS (*), minusque eorum sententiam approbat. Cre-
dunt scilicet per vim nerveam extensori v.g. superadditam posse alii-
quid de vi contractili musculi flexoris demi. Hoc compendium
virium, vt eo distinctius in oculos incurrat, hoc calculo ostendere volunt. Sit vis extensoris A = vi flexoris B, tunc, aiunt,
demta de A quacunque parte roboris nervae C; poterit & abs-
que nova vi, addita vi pari C ad musculum B, mutari vis fle-
xoris in $A - C = B - C$; vis extensoris in $A + C$. Iam sub-
tracta vi flexoris ab ea extensoris $A + C - (A - C)$, erit su-
perpondium in extensore = $2C$, atque sic oriri in extensore vim,
quæ non de novo generetur, existimant. Iam quæro, an vis
C, quæ demitur $\tau\omega A$ sit ea ipsa eademque, quæ additur $\tau\omega B$,
ita vt C transeat ab A in $\tau\omega B$, an non sic transeat, sed sit tan-
tummodo æqualis vis, quæ additur.

Si prius assumis, tunc dicas velim, quomodo transeat, per
quosnam miros & occultos canales? Excogitavit quidem inter
musculos antagonistas communicantes canales Renatus Des-
Cartes (**); ast doleo nullibi nisi in CARTESII cerebro ab ho-
diernis anatomicis istorum canalium existentiam concedi. Si
posteriori membris assumis, tunc nova vis generatur, nam $\tau\omega$
C in $\tau\omega A$ destruitur, & æquale C in $\tau\omega B$ de novo producitur
contra hypothesin. Sed nolo his vterius inhærere. Si post
actionem manifestam in musculis spontaneam remissionem &
reditum ad statum quietis assumimus, tunc nec dispendium tem-
poris in motu musculari fit, nam quivis musculus sub hac con-
ditione paratus est quovis momento ad agendum nec requiritur,
vt alium sibi oppositum antea superet, qui eum in agendo im-
pediat, nec fit virium iactura, nam non continuis nisi bus vires
perduntur.

§. 30.

(*) l.c. p. 507 & 508.

(**) cf. Tractatum de Homine a Ludou. de la FORGE notis perpetuis illu-
stratum in edit. operum Francof. 1692. p 35. "scire oportet non solum ne-
cessum esse, vt duo saltim sint communicationis canales inter duos musculos
antagonistas, sed insuper vt in canalium istorum exitu valvolæ sint, ita di-
spositæ, vt aperiendo se & claudendo alternis vicibus, prout spiritus in unam
alteramve partem magis affluunt, spiritibus in muscularum istorum unum
transitum præbeant, impediunt vero ne ex alio regrediantur.,,



§. 30. Supereft, vt antagonifum considerem, si muscu-
lo non iterum musculus opponitur, sed alia quæcunque vis vel
per se vel concurrentibus simul aliis muscularis. Est hæc alia
antagonifmi species, cuius plura dantur in C. H. exempla, quæ
ill. HALLERVS recenset (*). Retulit l. c. ad hanc antagonifmi
speciem quoque cor, quod hac occasione allegare placet, ne hu-
ius præcipui & singularis musculi oblitus effe videar. Motum
cordis alternum ab antagonismo fibrarum longitudinalium &
spiralium magis ingeniose quam vere Celeber. HAMBERGER VS
deduxit, sed facile omni labore hunc antagonifum intra fibras
cordis assumtum romovendi supersedere possum, cum iam in in-
tegra dissertatione (**) sub Præsidio Excellent. atque Spectatiss.
Dni. D. & Prof. SIGWART habita solide refutatus sit. Ut ego
hanc speciem antagonifmi examinandi occasionem habeam, eli-
gam pro exemplis vesicæ urinariæ & intestini tecti actionem.

§. 31. Vesicæ urinariæ contractio dependet sine dubio a
tunica musculosa, quæ e diversis stratis muscularis constat, al-
tero eoque exteriore maxime longitudinalibus altero interiore
præcipue obliquis fibris gaudente. Hinc iure vesica urinaria
quatenus scilicet eiusdem contractionem respicimus in actione
& reactione muscularum consideranda in censem venit. Post
excretam urinam vesica urinaria contracta est, ea autem disten-
ditur iterum, dum vreteres vesicæ artificiose inserti fere conti-
nuo ex renibus sic urinam adferunt, vt per eosdem nil refluere possit;
hinc intra hoc receptaculum per aliquod tempus collecta urina
distendit fibras musculares, quæ ad certum usque gradum ce-
dunt, donec de evacuanda urina dolor monet. De his apud
omnes, quantum scio, convenit, neque dubium unquam obor-
tum est. Sed quæritur quomodo iam evacuetur urina, quæ
hactenus in suo receptaculo retenta fuit? An hæc tunica mu-
sculosa per distractionem irritatur, vt eo fortius se contrahat

D

vri-

(*) Comment. ad BOERH. §. 625. p. 150.

(**) Antagonismus fibrarum cordis humani muscularum controversi, Au-
tore SVLZER. Tübing. 1765.



vrinamque expellat? An alia præterea vis requiritur, cuius actio antecedat, sphincteremque vesicæ aperiat, ut data porta effluat, effluxusque vltior per contractionem ipsius vesicæ dirigatur & promoveatur?

§. 32. Expendi res meretur, quippe cui alia dogmata superstructa sunt. Sphincterem vesicæ plerique pro maiori obstaculo assumunt, quam quod per solam vim contractilem vesicæ superari possit, hinc de aliis viribus cogitant, quarum ope sphincter diducatur, ut liber exitus vrinæ detur, cuī dein vltius expellendæ vesicæ vis demum sufficiat. Ludov. NEVFVILLE (*) existimat, “missionem vrinæ per vethram impedire obstaculum „sphincteris non superandum, nisi vi inspirationis & actione mu- „sculorum abdominalium stud supereret. Nunquam enim, pergit, „naturaliter vrinam reddimus, at solummodo horum musculorum „ope, qui soli sphincterem vesicæ aperire solent” Ipse ill. HALLE- RVS ad hanc eandem sententiam accedit: “micturus, inquit, „(**) incipit ab inspiratione, multum aërem in pulmonem re- „cipit, lenta & longa pectoris dilatatione, aëremque diu reti- „net, vt in nixu fit, vt & vires diaphragmatis deorsum vrgen- „tes vniuantur, & musculorum abdominalium potestas.” Phil. MARRHERR, nunc Professor Pragensis, docet (***) : “Vesica „moderate plena vt evacuetur omnino inspirando evacuari de- bet.”

§. 33. Nata est ex hac hypothesi doctrina, quod foetus respirationis in vtero expers mingere non valeat. Ipse Magnus Børhaavius hanc sententiam fovet (****). NEVFVILLE l. c. expressis verbis: “Nulla vrina transit per sphincterem, prius „quam infans inspirat, i. e. ante eius nativitatem.” THEBESIUS (*****) pariter effluxum vrinæ sine respiratione impossibilem existimat, quamvis semper ex maioribus renibus vrina se-

cer-

(*) In dissert. de allantoide humana Lugd. B. 1730.

(**) Elem. Phys. T. VII. p. 400.

(***) In quæstione academica, quæ sint caussæ musculorum motrices &c. Vind. 1761.

(****) Institut. §. 684.

(*****) v. Eius Hebammenkunst, 1 Thl. 6 Cap. p. 46.

cernatur. In hunc eundem sensum WALTHER (*) loquitur: "Novimus in embryone plenam esse lotio vesicam, &, „vt post hominem natum vesicæ contractio exerceatur, viscus „externa intestinorum pressione, hinc respirationis opere omnino „egere."

§. 34. Hæc a tam multis recepta doctrina mihi occasionem dat in Medicinam forensem excurrendi, in quam ipsam, cum fœtus iam quarto mense, testante HALLERO (**), quinto vti BUFFON(***) vidit, in vesica vrinam habeat, eandemque continuo fecernere pergit, dogma a multis introductum est, vt pro indicio vivi post nativitatem fœtus vesica vrinaria vacua haberetur. Cl. Dnus D. & Prof. ADOLPH (****): "Sie vacuata inquit, in, venitur vesica paucis guttis vrinæ tantum madens vixisse iam na, tum infantem verisimillimum cuvis videbitur." Pariter TREWIVS (*****) contendit; "inter signa fœtus vivi in lucem editi illud haud ultimum esse, si vesica vrina vacua reperiatur, claro indicio, illum actionem aliquam, quæ tantum vivo homini competit, exercuisse. Addi his omnino merentur, Cl. HEBENSTREIT (******) docens a fœtu vrinam fecerni non excerni, & ZITTMANN (******) vesicam vacuam a iam facta respiratione deducens. Confirmari hæc sententia videtur ex observatione ARNISAEI ab HEBENSTREITO (******) allegata, "qui omnem, quotunque fœtus novem mensium spatio colligere potuit, vrinam ad partus usque tempus contineri intra vesicam animadvertis.

D 2

§. 35.

(*) In dissert. de collo virilis vesicæ cathetere & vnguentis illi inferendis. Lips. 1745. §. VI.

(**) ad BOERH. §. 684. p. 364.

(***) Histor. Nat. T. II. p. 385.

(****) In dissert. de Infantie. Nobis sectione legali detegendis. Helmst. 1764. p. 64. coll. 67.

(*****) de differentiis quibusdam inter hominem natum & nascendum. p. 103.

(******) in Anthropologia for. p. 228.

(******) in Medic. for. p. 1306.

(******) in dissert. de Funic. umbil. Hum. patholog. p. 16.



§. 35. Possem forsitan plures adhuc citare auctores, si opus esset, sed non vniversalem esse hanc de vesica plena in fœtu observationem ex aliis auctoribus probabo, neque argumenta postea afferre negligam, quibus constabit, vacuitatem vesicæ, quippe ab inspiratione ab aliis haud bene deductam, nil pro vita fœtus probare. Vacuam vesicam in fœtu se certo vidisse **HALLERVUS** (*) dicit, vidit **HILDANVS** (**) aliique. Addo his Patrem meum optimum in septem fœtibus, ante nativitatem mortuis, quos me plerumque præsente in hanc aliasque res inquirens curiositatis gratia dissecuit, vnica tantum vice plenam invenisse vesicam, quamvis omnes hi fœtus vel octimestres vel novimestres essent. Quo in his vrina abierit, nisi, sine respiratione fœtum mingere posse, assumam, vix (***) & ne vix quidem dicere possum. Neque enim omnes Auctores facultatem mingendi in vtero fœtui denegant. Cl. NOORTWYCK, (quem cum non habeam ex **HEBENSTREITII** iam citata dissertatione allegare licebit,) nil impedire, quominus fœtus vrinam in cavum amnii effundat, arbitratur. Eodem modo Cl. HAMBERGERVS (****) statuit, fœtum sexto mense reddere suam vrinam naturaliter & miscere cum amnii liquore, quod sanguis fœtus æque ac adulti aqua abundet, hinc se- & ex- cerni debet, vesica tantam copiam non capiat, allantois deficiat, liquor amnii non sit gelatinosus, sed vrinæ similis.

§. 36. Redibo, facta hac digressione, ad considerationem modi, quo generaliter tam in fœtu, quam adulto vrina evacuetur, vnde patebit, non necessario requiri respirationem neque

(*) Elem. phys. T. VIII. p. 368.

(**) Cent. II. observ. §9.

(***) Scio ad allantoidem cum eo maiori specie veritatis provocari posse, quod ipse **ALBINVS** eam ostendat; sed vidi istud præparatum certoque affirmare possum **ALBINVM** non afferere istam vesiculam, quam drinxit in Annot. L. I. Tab. I. fig. XII, probare allantoidis existentiam, hinc eo magis rationes dubitandi de allantoide existente iustas credo, quas **HALLERVUS** proponit. T. VIII. p. 210.

(****) In physiolog. p. 773

que in hoc neque in illo. Vesicæ collum sphincterem clausum est, id autem vel mea voluntate, vel quia me dolor monet, se aperit; effluunt tunc aliquot guttæ per apertam portam, vesica se contrahere incipit, & ulterius expellit. Nil requiritur, quod sphincterem distrahat, sed ipse per se remittitur, laxatur, idque sufficit, ut vrina effluere possit. In mortuis, in moribundis, in iis, quibus fune circa collum constricto, aër intercipitur, vrina effluit, quod vix aliter explicare potes, nisi quod sphincter per se relaxatus sit, subsistente adhuc vi contractili ipsius vesicæ. Nil omnino ad missionem vrinæ inspirationem conferre ideo non dixerim, observatio enim docet profunde inspirando vel & actione muscularum abdominalium saltum vrinæ eiusque celeriorem effluxum intendi, ita ut manifeste hæ vires adiuvent, sed id nego, quod necessario requirantur, & quod sine iis mactio impossibilis sit. Sic scilicet a sapientissimo artifice structi sumus, ut organorum nostrorum actiones amice conspirent, & se invicem adjuvare possint, quamvis nihilominus quodvis per se fibi sufficiat, & ad functiones suas præstandas aptum sit. Vidi numerū cum Prænobilissimo atque Doctissimo Dno. D. G M E L I N O , nunc Academiæ Petropolitanæ Professore Celeberrimo, Amico meo coniunctissimo, apud optimum Parentem exomphalon, ubi hepar cum intestinorum tractu intra saccum extra abdomen prominentem continebatur, manifestoque observavi, dum fœtus inspirabat, saccum hunc intumescere, non aumen reliquum abdomen. Vivus hic fœtus per 12 dies conservatus est, neque ullum in vrina reddenda impedimentum anadvertebatur, quamvis certe in ipso vel respirationis vel muscularum abdominalium actio nil efficere potuit. Similem observationem habet M E R Y (*), qui pariter ex sua observatione educit, istum motum naturalem abdominis in fœtu post natitatem nil ad excrementa eiicienda facere. Conficitur ergo ex sponte sine alio auxilio sphincterem se aperire posse, neque opus esse ullis musculis antagonistis, atque hinc fœtum intra uterum vrinam deponere posse, ut itaque indicium ex vesica vacua in

(*) In den Abhandlungen der Königlichen Akademie der Wissenschaften vom Jahr 1716. übersetzt von Steinwehr p. 519. coll. p. 522, 523.

Med. for. de vita fœtus defumtum dubium omnino fit, neque firmis initatur fundamentis.

§. 37. Nec aliis exemplis destituor, quæ meam adhuc magis roborare sententiam possunt. Anus naturaliter clausus est, maxime ope sphincteris interni, impeditque ne scybala continuo effluant, quorum si sufficiens collectio in intestino recto adest, sponte relaxatur sphincter, exitumque fæcibus a motu peristaltico propulsis concedit. Nullum hic antagonismum locum habere, sive a musculis quibusdam sive ab alia vi dependentem multa probant. Si alvum deponis, manifeste sentis sphincterem laxari ante & sponte aperiri, tunc demum momento post sequi scybala, non autem ab eorum pressione sphincterem superari & vi quadam diduci. Si forte ab hac ipsa pressione sphincteris relaxationem pendere assumas, tunc quærerem, an quoque credas, istud muco albo simile, quod homo ille anum artificiale in late-re sinistro ob vulnus colo inflictum gerens, fere quotidie excrevit, cuius Historiam III. ALBINVS dedit (*), sphincterem vi quadam maiore diduxisse. Certe non videtur, neque sic ALBINVS, quem naturam humanam noscere persuasum habeo, toties ad hanc historiam divitem observationum, functiones corporis humani illustrantium, in suis lectionibus explicuit. Nec ad alias vires facile provocare licet, quæ antagonismum contra sphincterem exerceant. Nil respiratio hic valet, nam & mortuos alvum deposuisse observatum est & haud raro meconium à fœtibus intra uterum effluit, tunc quoque quando eum situm habeant, ut abdomen eorum non comprimatur. Miror plures auctores non tanquam necessariam pro fecibus excernendis requirere respirationem, quin quosdam in contrarium vitium incurrere & meconium effluens pro signo fœtus iam in utero mortui habere, (quod quam falsum sit, ad Magnum Morgagni provocabo qui contrarium docet in libro laudatissimode sedibus & caussis morborum) (**), neque negare deponi intra uterum, cum fere plurimi contrarium de urina mittenda sustineant, licet utriusque excretionis par ratio esse videatur. Illustr. HALLERVS : (***) fœtus, ait, minime raro

fœces

(*) Annot. Acad. L. II. c. VIII.

(**) Epist. XXLVIII. art. 40.

(***) in Elem. T. VIII. p. 203.

fœces alvi in amnio deponit probatque pluribus observationibus & in homine & in brutis. Annon idem assertum, respiratione sphincterem ani non superari, istud practicum consilium confirmat, quo interdum in alvi constipatione a nimia sphincteris strictura oriunda non suadent, ut profunde inspirando magna- que vi vrgendo ægrotus sphincterem diducat, sed meliora edocet præcipiunt, ut tranquille vaporis calidæ aquæ infideat, relaxationemque sphincteris expectet, qua facta fœces sequuntur? Cum iam respirationem ad depositionem alvi non requiri ostenderim, vix est cur de muscularis abdominalibus verbulum adiiciam, velim tantummodo, si quis forte ab iis antagonismum repetere velit, ea in memoriam revocare, quæ supra de exomphalo dixi & quæ Mery l. c. p. 522, 523 habet; quibus maximum omni robur ex HALLERI observatione adiicitur, qui „dissectis muscularis abdominalibus egestionem foecum integrum adparere certo vidit.,, (*) An ergo fallor an est naturæ humanae consentaneum non vi quadam extranea obnitente sphincterem ani diduci, sed ipsum per se remitti, fœcesque tunc nil amplius exitum prohibente propelli?

§. 38. Sufficiant hæc pro actione sphincterum illustranda proque illo modo explicando, quo actioni musculari non solum nusculus sed & alia vis opponitur. Nondum me deficerent alia exempla, quibus motum musculararem sine antagonismo fieri ostendere possem, ipse, ut non longius petita proferam, sphincter ani externus ipseque motus intestinalorum peristalticus minori argumenta præberent, quibus ulterius eluceceret, non continuis nisibus oppositis motus in nobis fieri, sed actione perfecta ad pristinum statum dulcemque quietem musculos sine antagonistarum auxilio redire.

(*) vid. Elem. physiol. T. VII. p. 76.

ІЛУСТРАЦІЯ

САНКТ-ПЕТЕРБУРГ